



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE REGIONIS BASILICATAE SANCTUS GERARDUS MAIELLA,  
SODALIS CONGREGATIONIS**

**SANCTISSIMI REDEMPTORIS, PATRONUS CAELESTIS**

**PROVINCIAE ECCLESIASTICAE BASILICATAE CONFIRMATUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Regionis Basilicatae clerus et Christifideles sanctum Gerardum Maiella, qui humilis eximiusque exstitit filius illius terrae, centum abhinc annos pie assidueque excolunt. Quapropter Venerabilis Frater Ennius Appignanesi, Archiepiscopus Metropolita Potentinus-Muranus-Marsicensis, una cum episcopis eiusdem Provinciae, communia cleri et populi fidelis vota excipiens, electionem sancti Gerardi Maiella, sodalis Congregationis Sanctissimi Redemptoris, in Patronum apud Deum Provinciae ecclesiasticae Basilicatae rite approbavit, atque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero enixis eiusdem Venerabilis Fratris precibus libenter obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Gerardum Maiella Patronum caelestem Provinciae ecclesiasticae Basilicatae confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de Patronis constituendis indicantur [AAS, vol. LXV (1973) 276-279]. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Aprilis, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---